

saltem duo ex preconibus stare debeant super scalas palacii comunis, pena sold. quinque pro quolibet, eam solvendo incontinenti sine proclamatione excusarum. ¶ Et que capta et firmata fuerint in maiori consilio executioni mandentur, si non essent contra formam statutorum, et cancellarii comunis scribere teneantur in libro reformationum comunis, et ea legere in
 59 A sequenti // primo maiori consilio sub pena centum sold. pro quolibet cancellario. ¶ Item quod quicumque arengaverit vel tractaverit vel operam dederit de removendo statuta vel aliquod statutorum factorum super potestariam, co[n]ponat nomine pene libr. (libr.) decem par., salvis penis statuti loquentis super libero arbitrio non dando potestati. ¶ Et nequis consiliariorum possit nec debeat esse in maiori consilio vel minori nec balotam ponere, quando aliqua pars sive preposita facta esset in aliquo dictorum consiliorum pro suis spetialibus negociis sive utilitatibus. ¶ Item quod nulla provisio facta per maius consilium ultra viginti sold. gross. valeat vel teneat, nisi illa provisio optineretur per tres partes illius maioris consilii, in quo fieret preposita vel partitum, excepto quam si facta esset domino patriarche Aquilegie, domino comiti Goricie et domino
 20 episcopo Tergesti, quibus nolimus hoc statutum preiudicare.

Cap. XXXVI. Rubrica de congregacione maioris consilii quando fiunt officialles. R.ca.

S tatuimus quod, quandocunque maius consilium congregabitur pro electione aliquorum offitialium elligendorum et flendorum secundum formam capitularii offitialium comunis flendorum procedatur in hunc modum: videlicet quod ponantur tot brevia alba quot ¹⁾ erunt consiliarii in dicto consilio, et in ipsis brevibus scribantur tot brevia offitialium quot fieri debebunt, et quod quicumque habuerit ex brevibus dictorum offitialium eligere debeat unum offitiale sacramento, meliorem quem sibi videbitur, incontinenti de eodem offitio de quo brevem habuerit, ipso habente talem brevem veniente ad dominum
 25
 30

¹⁾ quod.